In Solennes Nobiliſsimi Domini

# THOMÆ STYLE, Armig.

ET

*Clariſsimæ D. MARIÆ LANGHAM* Nuptias,

# Epithalamium:

FElix connubium multos tibi gratulor annos,
Gratulor hæc meritis præmia digna tuis.
Moribus, ingenio, vultu donavit amœnis
Te Deus, & magnas accumulavit opes.
Tanta Dei patriis creverunt munera curis,
Virtuteſque dedit Sollicitudo novas.
Ipſe haud indulgens operæ; vigiliſque laboris,
(Teſtis ego) nullo tempore parcus eras.
Quod labor eſt aliis, viſum id tibi ſumma voluptas;
Ut lætos fructus ſemina culta ferant.
Nec ſtuduiſſe ſat eſt; alienas viſere gentes
Mens fuit, & vaſtum volvere eundo librum.
Quicquid habet præſtans Europa bonive, malive,
Hoc animo penitus, ſponſe perite, tenes.
Una domum reduci deerat digniſſima conjux,
Quæ foret unanimis conſcia ſola jugi.
En ferit irradians oculos *Langhamia* proles;
Inde reſiſtendi copia nulla manet.
Quem non Italiæ molles tetigere Puellæ;
Non valet illecebris Galla movere ſuis.
Qui caſtum Veneri non expugnabile pectus
Geſſerat, hunc capiens Anglica forma domat.
Angelicam noſtro licuiſſet dicere verſu:
Anglica vix etenim diſtat ab Angelica.
Tali blanditias intactus & oſcula nymphæ
Servaſti, amplexus ſentiet una tuos.
Virgineos hodie dabitur tibi carpere flores,
Flammanteſque, minax non ubi ſpina, roſas.
Par utinam veſtrum Soboles oriatur utrique,
Atque brevì patres efficiatis avos.
Ducite concordis longiſſima tempora vitæ.
Perpetuæ conſtent vincula amicitiæ.
Sit neuter viduus, neuter velit eſſe ſuperſtes;
Morſque Sacros nequeat diſſociare toros.
Et Thalami ſi ſancta fides poſt funera vivit
Ambos æternùm vividus urat amor.
Hæc ſunt vota tui, ſunt iſta precamina Servi;
Quem tibi devotum, te rogo, ſemper ama.

*Sponſo offerebat*

*Devinctiſſimus præceptor ac Servus*

PETRUS COTTEREAU.

22 9 19